



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Lvdovici Caroli II. Regis Siciliae Filii, Ex Ordine  
Minorvm Episcopi Tolosani Vita**

**Sedulius, Henricus**

**Antverpiæ, 1602**

Præloqvium Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42834**

P R Æ L O Q U I V M

A D L E C T O R E M.



**S**UPERIORI tempore, be-  
 nigne lector, cum nonnihil ope-  
 ræ ponerem in edendâ, illu-  
 strandaque meo Commentario  
 historiâ vitæ S. patris Francisci; varia exem-  
 plaria conquirebantur, ad quæ illa corrigen-  
 da esset. Cum aliis è bibliothecâ Fratrum no-  
 strorum Louaniensi allatus fuit vetus admo-  
 dum liber membraneus manuscriptus, in  
 quo præter vitam S. Francisci, alia pleraque.  
 & euoluës inueni sub finem adscriptâ vitam  
 S. Ludouici ex Ordine Minorum Episcopi  
 Tolosani. Subsultabat mihi animus præter  
 spem inuento publico thesauro hæctenus ab-  
 scondito. Nam quamuis Ioannes XXII. Pont.  
 Max. suo diplomate, quo cælestes illi decreuit  
 honores, sat multa conscripserit, quæ insignem  
 eius testantur sanctitatem: tamen curiosum  
 hoc æuum plura desiderat, quàm eius breui  
 & abscisâ scriptione narrantur. plura &  
 vberiora liber ille præbebat. Subsūt igitur  
 mihi hanc ipsam historiam à tenebris & obli-  
 uionis iniuriâ luci asserere: sed absterrebat  
 primùm tacitus auctor; tum etiam stilius il-  
 lius

lius sanè quàm incultus ; denique prorsus in-  
 ordinata & confusa dispositio . Quid age-  
 rem ? licet incursum tam seua & infesta  
 virtutibus tempora, iudicia etiam huius ævi  
 fatua aut iniqua, hæc ausus sum . Capita, quæ  
 ille septem tantummodò posuit, ordinis gra-  
 tiâ aptioris, & vitandi ex nimia longitudi-  
 ne fastidij, disparavi in viginti duo . deinde  
 secutus historiæ fidem, aptius ( meo quidem  
 iudicio ) singula disposui, monitis salutaribus  
 & sententiis ornans, paulò meliorem feci, la-  
 tiniolemque . atque id exemplo bonorum au-  
 ctorum, qui facta, dictaque adstrictius, spa-  
 tiosius & vberius explicare solent . Iuuit equi-  
 dem, eoque lubentius subire laborem, quòd  
 ipsa historia à S. Ludovici equali conscripta  
 sit, & quod plus est familiari . Tacet nomen  
 suum, quæ eius modestia, nec mihi quicquam  
 de eius nomine compertum : tamen aperit  
 aliquando se familiarem S. Ludovico fuisse .  
 Sic enim inter alia præloquitur, Ipsius ge-  
 sta non quidem omnia, quia nec omnia  
 ego didici aut scire potui ; sed aliqua,  
 quæ partim in eius domo & societate  
 existens, oculatâ fide perspexi : partim à  
 quibusdam viris fide dignis auditu per-  
 cepi, ad Dei & Sancti gloriam exponere  
 decre-

Cap. 1.  
ind. 9.

decreui. Et initio historiae scribit se nonnulla accepisse à matre S. Ludovici, quae litteris mandavit. alibi quoque vidisse se illum Barcinone publicè disputantem. Si historia propriè est rerum, quibus interfuit qui scripsit: iure tibi, mihi, atq; adeò cuique beniuolo gratulandum erit de scriptore, qui quae vidit, quae certò cognouit perscripsit. ex quo etiam ambigua quaedam et dubia definiri possunt; etenim nonnulla sunt, de quibus in Commentario meo ad vitam eius, si modò vacabit inspiciere, certior fies. Itaque superior aetas, incuriosa suorum cum historiam vitae sanctissimi Episcopi penè amiserit, amicis quoque eam valdè exigentibus, ipsam posteris tradam: et in hac tenebricosâ vitiorum nocte, summarum virtutum lucidissimam faculam accedam, bonis, malis, omnibus, solatio, medicamento, exemplo futuram. In quo, ita nostri quoque rationem commodi ducimus, ut non inanem ab hominibus memoriam, sed aeternum à Deo præmiu[m] expectemus. Quia etsi ipsi non ita viximus, ut aliis exemplo esse possimus: dedimus tamen operam ne is lateret, qui esset imitandus. Cuius gratiâ præmitto nonnulla

Sulpit. S.  
Mar. in  
prologo.

ELOGIA